



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. IV. De S. Irenæi cum S. Victore Pontifice conflictu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

perius dictum est, centrum unitatis Catholicae, & regulam veritatis: quod satis est ad convincendos confundendisque Novatores.

§. IV.

*De S. Irenaei cum S. Victore Pontifice
conflictu.*

Hanc etiam Quesnelli defensores à Calvino mutuati sunt objectionem ad eludendum auctoritatem & censuras Pontificum: Calvinusque eam accepit ab Euzebio Ariano, & qui Euzebium latinè reddidit, Rufino juratissimo Ecclesiae Romanae hoste. Sed nihil hac objectione frigidius; cui hanc unam ob causam respondetur, quòd haec toties repetita legatur in Scriptis Novatorum.

Itaque Rufinus narrat S. Victorem Pontificem Ecclesias Asiaticas, in ritu celebrandi Paschatis reliquis Ecclesiis Christianis se conformare nolentes percussisse fulmine excommunicationis. *Victorem, inquit, arguit (Irenaeus) quod non rectè fecerit, abscindere à corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei.* Quamquam res ita esset, ut narrat Rufinus, nil hinc contra Pontificis auctoritatem posset concludi. Hanc S. Irenaeus & agnoscit & probat: improbat solum; quòd S. Victor hac sua auctoritate non satis urgente necessitate sit usus: contra verò Ecclesia ipsa, Asiaticos illos pariter à sua communione rescindendo, S. Victoris factum approbavit. At Rufinus vertit Euzebium mala fide, apud quem ita legitur: *Victorem verò ne cunctas Ecclesias Dei antiqua consuetudinis traditionem retinentes alienaret, competenter ac multis admonet.*

Ruffin. in
Verf. Hist.
Euseb. l. 5.
c. 24.

Euseb. l. 5.
c. 24. p. 156.
edi. Valet.

D Irenaeus,

Irenæus, nomine & re pacificus, existimabat tolerari posse ab usum disciplinæ pacis gratiâ, Victoremque ad dissimulandum conivendumque hortabatur. Pontifex minimè dissimulandum judicavit: ejus sententiam Nicænum deinde & Ephesinum Concilia probare, quando se ab Asiaticis illis, Victoris exemplo, anathematis gladio separarunt. Quarto-decimanos istos Ecclesia ut Hæreticos detestata est, quamquam de sola disciplina quæstio verteretur.

Annot. in
cap. 24.
lib. 8.

Hæres. 70.
c. 9.

Dominus de Valois in suis in Euzebium Notis, S. Victorem minatum dumtaxat excommunicationis sententiam, at non pronuntiasse existimat. Sed oppositum est probabilius, cum S. Epiphanius dicat magnam adeo fuisse litem hanc, *ut Orientales ab Occidentibus avulsi* essent. Ceterum etsi ostendi posset S. Victoris sententiæ non acquievissent quædam Orientis Ecclesias, & cum Asiaticis illis communicasse; probare oportebat jure id ab illis factum esse, idemque hodie fieri posse cum iis qui ob fidei causam anathemate separantur, cum Asiatici isti ob solam disciplinæ praxim fuerint separati. Nihil itaque in hisce exemplis occurrit, quo vindicari à Schismate & Hæresi possint ii, qui se à fidei & S. Sedis communione hoc tempore segregant. Quin potius exempla hujusmodi nullius roboris meritò reputantur, postquam ea adversus Cathedram Petri producta sunt ab omnibus omnium temporum Hæreticis.